

sententiæ inter se; ergo non potest talis unio dissolvi, conservato utroque extremo.

8. Et hæc ratio videtur quidem procedere etiam in opinione affirmante existentiam et essentiam esse res distinctas, et est quidem absoluta et efficax; tamen, si ejus vis attente perpendatur, non potest esse efficax, quin destruat illam sententiam, et probet inter existentiam et existentiam non esse unionem, sed identitatem. Et existere, ita appellari effectum formalem existentiam, ut non possit esse quasi effectus physicus proveniens seu communicatus a re distincta, sed quasi effectus metaphysicus proveniens a modo intrinseco non re, neque ex natura rei, sed ratione distincto. Quod potest (præter rationes factas) ita declarari et confirmari, quia si essentia et existentia sunt res distinctæ, ergo uniuntur inter se, intercedente inter ipsas aliquo modo unionis; omnes enim res distinctæ uniuntur; cur ergo non posset Deus dissolvere talem modum unionis conservando extrema? Certe non potest sufficiens ratio reddi, ut facile probant discursus facti in superioribus assertionibus, qui æque possunt hic applicari. Et præterea interrogari posset de illa unione, quam existentiam habeat; nam in illa est etiam aliquid essenziale, quod potest esse et non esse; unde cum non sit formaliter ipsa existentia, oportebit ut habeat existentiam a se distinctam, quod est satis absurdum; sic enim posset fere in infinitum procedere.

*Non potest res existere per alienam existentiam absque propria.*

9. Dico quarto: non potest de potentia Dei absoluta conservari creata essentia existens per alienam existentiam, absque propria. Ita sentiunt omnes Theologi, qui affirmant in humanitate Christi esse existentiam creatam et propriam, et non existere formaliter humanitatem illam per existentiam Verbi. Non enim potuerunt hi auctores in alio fundamento nisi, nisi quia existimaverunt esse impossibile aliter fieri. Alioqui cur id negarent, cum maxima unio substantialis tribuenda sit humanitati Christi, quæ sit possibilis, salva veritate utriusque naturæ divinæ et humanæ? Proprium autem hujus conclusionis fundamentum esse debet, quod a nobis positum est de identitate existentiam et essentiam actualis. Nam si actualis existentia esset vel res, vel modus ex natura rei distinctus ab essentia actuali, nulla posset (ut sæpe dixi) sufficiens ratio reddi, cur non pos-

set Deus actualem essentiam sine propria existentia conservare, et alia via dependentiam ejus supplere; sicut conservat substantialem naturam sine propria subsistentia, et formam accidentalem sine propria inhærentia, quamvis tam subsistentia quam inhærentia, solum sit modus quidam ex natura rei distinctus a natura. Si ergo Deus impedit hunc modum, et alia ratione supplet illum, cur non posset idem facere in existentia, si illa esset res, vel modus, ex natura rei distinctus ab actuali essentia?

10. Video dici posse, existentiam esse modum magis intrinsecum, quia primo et formaliter constituit rem extra causas suas. Verumtamen hæc responsio, aut probat quod intendimus, nimirum, existentiam separabilem non esse propter identitatem, vel declarare non potest in quo consistat illud esse magis intrinsecum, aut quomodo existentia formaliter constituat rem extra causas, si jam supponit ordine naturæ entitatem actualem essentiam factam a causis, et in ea actualitate non constitutam formaliter per existentiam. Nam respectu talis entitatis, tam extrinseca erit existentia, sicut subsistentia vel inhærentia, aut certe non magis intrinseca. Imo juxta multorum Thomistarum opinionem, subsistentia prius natura afficit actualem essentiam quam existentiam. Unde in hoc videtur esse quodammodo magis illi intrinseca. Alii vero existentiam substantiæ idem esse putant, quod subsistentiam. Si ergo semel supponatur distinctio realis, vel ex natura rei inter existentiam et actualem essentiam, nulla potest efficax ratio reddi assertionis positæ. Et ideo dixi in superioribus, auctores, qui negant potuisse humanitatem Christi assumi sine existentia creata, debere consequenter asserere, existentiam non esse rem vel modum ex natura rei distinctum ab actuali essentia.

11. Hoc ergo est totum fundamentum præsentis assertionis, quo posito est evidens consecutio. Quæ ex superioribus assertionibus illustratur et declaratur amplius; nam essentia actualis non potest in rerum natura conservari sine propria et intrinseca existentia; hoc enim probant rationes factæ. Quia in re non distinguitur a sua existentia propria; unde sicut conservari non potest sine seipsa, ita etiam nec sine propria existentia. Item, quia ipsamet conservatio essentiam creatæ est quædam effectio ejus; omnis autem effectio est communicatio alicujus esse, quem effectus in se recipit, et habet extra suam

causam, et consequenter est communicatio alicujus esse existentiam, intrinsece et proprii essentiam factæ. Item quia actualis essentia necessario debet constitui in ea actualitate per aliquod esse reale indistinctum ab ipsa, ut supra probatum est; impossibile ergo est conservari in sua actualitate, quin in ea conservetur tale esse; sed ostensum etiam est supra, tale esse veram esse existentiam, quia est esse temporale; ergo sine tali existentia omnino intrinseca et propria conservari non potest essentia actualis.

12. Hinc vero ulterius concluditur, non posse Deum conservare ullam essentiam existentem, per existentiam (ut ita dicam) extraneam et peregrinam illi. Primo quidem, quia non potest essentia existere per alienam existentiam, nisi propria privetur; non potest autem privari propria, ut ostensum est; ergo. Secundo, quia rationes factæ probant, illum effectum formalem, quem concipere possumus dari ab existentia, non posse esse a re, vel modo distincto a parte rei ab ipsa essentia existente; non potest autem intelligi quod res fiat existens per rem extraneam, quin illa sit a parte rei distincta ab essentia, cui dicitur uniri, ut eam faciat existentem. Tertio, quia non potest Deus facere ut aliqua essentia creata sit actualis essentia seu actu ens extra nihil, per actualitatem extraneam et distinctam ab ipsa; sed, ex hoc præcise quod essentia creata est actu ens extra nihil, est existens; ergo non potest fieri existens per actualitatem extraneam ac peregrinam. Consequentia est evidens. Major autem et minor probatæ sæpe sunt in superioribus.

13. *Objectio. — Dissolvitur.* — Contra hanc assertionem nulla naturalis ratio objici potest, quæ alicujus sit momenti. Nam, quod quidam argumentantur, existentiam non esse perfectionem essentialem naturæ creatæ, ideoque posse ab illa separari, et per alienam existentiam suppleri, nullius momenti est. Primo, quia consequentia non est formalis, nam attributa entis non sunt prædicata essentialia, et tamen nec separari possunt, nec extrinsecus suppleri; sufficit ergo identitas sine ulla distinctione ex natura rei, ut separatio locum non habeat, etiamsi perfectio non censeatur essentialis. Imo, sunt qui existiment, aliquas esse proprietates neque essentialis, neque habentes identitatem, sed potius distinctionem ex natura rei ab essentia, quæ nec separari possunt, nec extrinse-

cus suppleri. Sed quam hoc sit probabile, alibi examinabitur. Optima vero instantia est, quia, juxta communem doctrinam, quam sic arguentes non negant, principium individuans ut sic, seu hæcitas simpliciter non est perfectio essentialis individui (Petri, verbi gratia,) et nihilominus nec potest separari a Petro, nec extrinsecus suppleri, ita ut Petrus maneat. Quod si fortasse dicant differentiam illam individualement, licet non sit absolute de essentia, esse tamen de essentia Petri, ut Petrus est, dicemus et nos existentiam actualem et exercitam non esse de essentia absolute, esse tamen de essentia essentiam actualis, prout est actu ens extra nihil; ideoque quamvis possit intelligi essentia absolute in esse potentiali, seu objectivo, sine actuali existentia, non tamen posse intelligi essentiam factam ens actu et extra nihil sine intrinseca et propria existentia.

14. *Aliquæ objectiones Theologicæ.* — Ex principiis autem supernaturalibus solet aliud argumentum sumi, scilicet, quia subsistentia propria separari potest, et per aliam suppleri; et similiter inhærentia potest separari, vel absolute, vel per modum oppositum per se essendi; ergo et existentia. Sed hoc etiam expeditum est ex dictis, quia subsistentia et inhærentia sunt modi ex natura rei distincti ab actuali essentia, quia non constituunt illam in ratione entis in actu, nec primo ac formaliter eam distinguunt ab ente in potentia, et ideo quamvis ab illa separentur, potest intelligi quod maneat essentia actualis eadem, licet sub alio modo essendi; secus vero est de existentia, quia est primum formale constitutum actualis entitatis, et in re non distinguitur ab illa.

15. *Christi humanitas an existat Verbi existentia.* — Instant vero aliqui argumento Theologico, quia ex hoc principio metaphysico a nobis posito, sequitur Verbum divinum assumpsisse humanitatem cum existentia creata ejus, quod non solum videtur esse contra doctrinam D. Thomæ, sed etiam aliorum Patrum antiquorum, præsertim Leonis, Sophronii, Fulgentii, Damasceni. Videtur etiam esse parum consentaneum aliis veritatibus, quas de illo mysterio fides Catholica docet, ut quod beata Virgo non solum humanitatem, sed verum hominem conceperit, et quod Christus non tantum est unus, sed etiam unum ens simpliciter, et quod humanitas Christi non in se, sed in Verbo existit, ac de-

nique quod humanitas Christi operari proprie non possit, sed Verbum per ipsam.

16. Hæc difficultas posset hoc loco prætermitti, tum quod Theologica sit, tum etiam quod a nobis sit pro viribus disputata, in 1 tomo tertiæ partis, disp. 36, ubi verum esse ostendimus, quod in proposita objectione infertur; quia tamen nonnulli moderni scriptores acerbè ferunt doctrinam eo loco a nobis traditam, eamque impugnare conati sunt, non gravabor eis iterum respondere, quamquam nec nova testimonia nec rationes novas objiciant, sed novas tantum et inusitatas exaggerationes. Quid enim est cur doctrinam admirentur non novam, sed a multis et gravibus Theologis, tam antiquis quam modernis receptam, Altisiodoro, Alberto, Scoto, Durando, Gabriele, Bonav., Almain., Hervæo, Paludan., et ab ipso D. Thoma, in quæst. unica de Verbo incarnato, art. 4? quo non satis constat unquam mutasse sententiam, ut citato loco fuse declaravi. Ubi etiam ostendi Sophronium, Leonem et Fulgentium, nihil docuisse huic doctrinæ repugnans, quod late etiam attigeram in eodem tomo, disput. 8, sect. 1. De Damasceno vero ostendi non solum non repugnare, verum etiam huic nostræ doctrinæ plurimum favere. Unde valde miror quomodo gravis quidam auctor<sup>1</sup>, qui sine dubio illa nostra scripta perlegerat, ausus postea fuerit scribere, et typis mandare, Damascenum, l. 3 de Fide, c. 22, expresse docere illam sententiam, quæ negat esse in Christi humanitate existentiam creatam; cum tamen in eo capite Damascenus nec verbum scribat de hac re, sed solum impugnet errorem asserentium Christum in gratia et scientia profecisse, quem his verbis confutat: *Qui autem cum progressus in sapientia et gratia perinde fecisse aiunt, ac si earum incrementum acciperet, non a primo illo carnis ortu factam esse unionem asserunt, nec personalem unionem tuentur.* Et infra: *Nam si caro ab ultimo ortu Verbo unita est, imo potius in ipso extitit, ac personalem cum eo identitatem habuit, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiæ gratiæque opibus affluerit?* Quid, quæso, in his verbis invenitur, quod illi sententiæ patrocinetur? aut quid ad institutum Damasceni spectabat, quod in humanitate Christi non sit existentia creata? dummodo a principio fuerit

<sup>1</sup> Joan. Vinc., lib. De Gratia Christi, q. 7, dub. de hac re, concl. 2.

Verbo unita, quod nemo Catholicus negati neque habet repugnantiam cum existentia creata ipsius naturæ, quia potuit semper existere in Verbo, ut Damascenus ibidem loquitur. In quo nobis potius favet, quia non ait extitisse Verbo, aut per Verbum, sed in Verbo.

17. Sed aiunt illam doctrinam esse parum consentaneam principiis fidei; at vero alii graves auctores existimant hanc sententiam fere evidenter sequi ex principiis fidei. Docet enim fides, assumpsisse Christum veram et realem humanitatem, non habentem solum esse objectivum, seu in potentia in causis suis, sed habentem aliquod esse reale et actuale, creatum extra causas suas; sed hoc est esse existentiae; ergo assumpsit humanitatem cum aliquo esse creato. Consequentia evidens est et formalis; major autem est certa secundum fidem, quæ docet humanitatem Christi esse rem creatam, et a divino Verbo distinctam, et assumptam in unitatem personæ, et ab illa natura habere Christum esse humanum, quod est esse creatum, et consequenter est actuale, et non potentiale tantum. Minor vero in superioribus est demonstrata, et nobis videtur fere evidens ex ipsis terminis, si probe intelligantur, quia esse actuale et extra causas nihil aliud est quam existere, ut in superioribus late declaratum est.

18. Quapropter ex opposita sententia sequi videntur hæc absurda. Primum, humanitatem non esse ens creatum, quod est aperte falsum. Probat sequela, quia ens dicitur ab esse, et constituitur ens actu per esse; ergo si humanitas constituitur ens actu per esse increatum, non est ens creatum, sed increatum, sicut, quia Christus non constituitur in esse personæ per creatam personalitatem, sed per increatam, non est persona creata, sed increata. Item vel humanitas dicitur ens creatum prout est actu existens, vel tantum prout est actu secundum esse essentiae; primum dici non potest juxta illam sententiam, quia ponitur humanitas actu existens per existentiam increatam, unde necesse est ut hoc existens, ut sic, vel sit increatum, si formaliter et proprie loquamur, vel certe non pure creatum, sed constans ex creato et increato. Si vero dicatur secundum, interrogo an illud esse essentiae sit tantum in potentia, et ita non est creatum, sed creabile, et in se revera est nihil, in sua vero causa est ipsa creatrix es-

sentia; vel est esse actuale in se et extra causas, et hoc necessario esse debet esse existentiae, quia existere non est aliud quam actu esse extra causas, et quia creatio formaliter ad existere terminatur, ut supra probatum est; non potest ergo intelligi ens actu pure creatum sine aliquo esse existentiae creato.

19. Secundo inferri potest, incarnationem non fuisse veram et realem unionem et assumptionem, quia vera unio intercedere non potest, nisi inter realia actualia entia, quorum unum non habet intrinsece entitatem suam ab alio, quamvis posset unum ab alio pendere, quæ omnia in superioribus late declarata sunt. At vero, si humanitas Christi solum existeret per existentiam Verbi, intrinsece constitueretur in esse actualis entitatis per Verbi existentiam.

20. Tertio inferri potest, Verbum fuisse unitum humanitati ut intellectæ in esse essentiae tantum, quod ab æterno habebat, quia præter illud esse non habet humanitas aliud, nisi esse existentiae; si ergo hoc esse existentiae in humanitate Christi non fuit aliud, nisi esse Verbi, ergo illud esse fuit immediate unitum humanitati, quæ secundum se æterna erat; igitur incarnari nil aliud fuit quam æternam essentiam trahere ad increatum esse Verbi. Hæc autem non est incarnatio, sed fictio, quia illa essentia æterna nihil fuit, nec est assumptibilis secundum id præcise quod ex se et ex æternitate habet; ergo necesse est ut aliquod aliud esse ei prius tribuatur prioritate naturæ, vel saltem rationis, quod satis est ut illud esse sit distinctum a subsistentia divina, quæ per unionem communicatur.

21. Quarto inferri potest ex illa sententia, humanitatem non habere a Deo per efficientiam ejus proximam capacitatem, ut uniatur Verbo, quod est etiam absurdissimum in doctrina fidei. Sequela patet, tum quia illa capacitas non est in humanitate secundum aliquod esse existentiae, sed tantum secundum esse essentiae æternum, secundum quod essentia humanitatis non est effective a Deo. Tum etiam quia, si illa capacitas est in humanitate per actualem efficientiam Dei, ergo existit ex vi illius efficientiæ; ergo habet aliquam existentiam factam et creatam; ergo hæc est existentia ipsiusmet humanitatis. Et hæc ratio etiam probat humanitatem illam prius natura habuisse existentiam; quam fuerit unita Verbo, quæ non potuit esse

nisi existentia creata, ut per se constat. Et sequela patet, quia illa humanitas prius natura fuit capax unionis, quam actu unita; proxima autem capacitas non est nisi in entitate jam effecta, et existente extra causas suas.

22. *Virgo beatissima qualiter Christi existentiam attigerit.* — Sed videamus quæ sint aliæ veritates fidei, quibus illa doctrina parum consona existimatur. Prima erat, quia beata Virgo non solum humanitatem, sed Deum hominem concepit, cujus oppositum videtur sequi, si Christi humanitas habuit existentiam creatam. Sequela patet, quia tunc habuisset humanitas illam existentiam a matre, et consequenter tota efficientia vel causalitas matris, quæcumque illa sit, terminata fuisset ad illam existentiam creatam, et ibi stetit; cum ergo illa existentia sit solius humanitatis et non Christi, Virgo solum humanitatem concepisset, et non Christum, neque Deum. Sed hæc difficultas (qualiscumque illa sit) multo magis urget, si in Christi humanitate non est esse existentiae creatum, sed tantum esse essentiae. Nam inde sequitur, totam actionem seu causalitatem matris terminatam fuisse ad esse essentiae humanitatis, et ultra non fuisse progressam; ergo multo magis sequitur, concepisse solum humanitatem in esse essentiae, et non humanitatem existentem, nedum ipsum Christum aut Deum. Antecedens patet, quia (ut supponimus) beata Virgo non concurrit immediate ad unionem illius humanitatis cum Verbo; ergo non concurrit ad actionem, quia illa humanitas facta est existens, quia illa fuit unio juxta hanc sententiam; ergo tota causalitas Virginis versata est circa esse essentiae humanitatis, et in eo stetit. Et hinc patet secunda consequentia, tum ad hominem, quia ejusdem formæ est cum illa, quam ipsi contra nos inferunt; tum, a fortiori, quia magis distat a Christo humanitas secundum solum esse essentiae, quam humanitas jam existens; et nemo negare potest quin ordine naturæ saltem in aliquo genere causæ, scilicet, materialis, prius natura habuerit illa humanitas saltem esse essentiae, quam fuerit assumpta seu unita Verbo.

23. Ex hoc ergo argumento colligimus unum principium necessario admittendum ab omnibus Catholicis, nimirum, Virginem non dici matrem Dei aut concepisse Deum, eo quod ipsa immediate effecerit unionem humanitatis cum Deo, quia constat non fecisse

illam neque ut principalem causam, neque ut instrumentum. Dicitur ergo concepisse Deum, quia causalitati ejus, qua concurrat ad unendum corpus et animam Christi, et humanitatem formandam, simul conjuncta fuit Spiritus Sancti actio, qua illa humanitas, in eodem instanti quo formata est, unita est Deo, quo factum est ut tota conceptio, quae utramque illam actionem includit, terminata sit non ad solam humanitatem, sed ad Deum hominem. Atque hoc modo philosophari debent omnes, sive dicant actionem Virginis versatam esse circa humanitatem quoad esse essentiae tantum, sive etiam quoad esse existentiae. Imo, qui solum illud prius affirmant, multo minorem concursum tribuunt Virgini in illa conceptione, ut ostensum est; et vix explicare possunt quomodo sit vera conceptio et generatio, per quam nullum esse existentiae communicatur, et ex hac parte illa doctrina minus est consentanea etiam huic veritati fidei.

24. Noc igitur facili negotio respondemus negando sequelam, quia illa conceptio absolute fuit terminata ad Deum in eodem instanti, ac simul secundum durationem realem. Nec refert quod actio Virginis et terminus ejus ordine naturae antecesserit, quia id solum fuit in genere causae materialis, et cum aliqua connexionione et dependentia ab altera actione, qua illa humanitas fuit in eo instanti unita Verbo. Adde probabilius esse, animam et corpus prius natura unita fuisse Verbo, quam inter se, et ideo, secundum communicationem idiomatum, propriissime dicitur B. Virgo concepisse Deum, quia concurrat ad unendum inter se animam et corpus Dei, et quae jam subsistebant subsistentia Dei, et ita necessario genuit Deum, quia generatio terminatur ad suppositum, et talis generatio non potuit tunc ad aliud suppositum terminari, quae omnia in citatis locis, ex 1 tomo tertiae partis, latius declarata sunt, et in 2 tomo, disput. 1, sect. 1.

25. Aliud principium fidei, quod labefactari dicitur ex hoc principio metaphysico a nobis posito, est, quia Christus est unus simpliciter, et unum ens, cujus oppositum sequi videtur, si in eo est esse existentiae creatum humanitatis. Ad hoc vero respondetur negando sequelam; dicitur enim Christus unus simpliciter propter unitatem personae; est autem una persona, quamvis habeat duas naturas reales et actuales, quod est habere illas cum propriis existentibus. Unum autem

ens dicitur Christus propter unum esse completum et per se unum; Christus autem ut Christus non est unum ens simplex, sed compositum (est enim persona composita), et ideo non oportet ut habeat unum esse simplex, sed compositum, juxta doctrinam superius demonstratam. Habet ergo Christus unum esse compositum ex esse humanitatis, et esse Verbi seu personalitatis ejus. Unde non impedit unitatem entis duplex esse naturae vel extremorum, si inter ea sit vera et realis unio, praesertim substantialis, et quae sufficiat ad componendum ens per se unum. Atque ita praesens doctrina metaphysica nihil aerogat, imo maxime consonat dictae veritati fidei, et confirmat aliam, quae docet unitatem Christi non esse simplicem, sed per compositionem, cui veritati minus consentanea est alia doctrina, quae tribuit Christo unum esse omnino simplex.

26. *Christi humanitas ut dicatur in Verbo existere.*—Tertium fidei principium est, quod humanitas non in se, sed in Verbo existit. Ita enim loquitur Sophronius, in sexta Synodo, actione undecima; et Damascenus supra citatus; et est res certissima; sed quae nam (rogo) est illa consequentia: Humanitas existit propria existentia; ergo existit in se, et non in Verbo? Haec enim est similis formae: Accidens existit propria existentia distincta ab existentia subjecti; ergo existit in se, et non in subjecto; et tamen haec invalida est, nam antecedens est verum, et consequens falsum. Probant autem illam consequentiam, quia existere in aliquo, nihil aliud est quam existere per existentiam ejus, et dependenter ab ipso. Sed ex his duobus, primum est falsum. Secundum vero est insufficienter dictum, et non satis declaratum. Prior pars probatur exemplo adducto de accidente; existit enim in subjecto, et non per existentiam subjecti; et forma, praesertim materialis, existit in materia, et ita omnes loquuntur, et tamen nemo unquam dixit existere formam per existentiam materiae, et ratio constabit ex dicendis. Posterior pars declaratur, quia imprimis, ut aliquid dicatur existere in alio, non satis est existere dependenter ab illo. Nam materia existit dependenter a forma, et tamen non existit in forma, et quaelibet creatura existit dependenter a Deo, et tamen non existit in Deo, eo modo quo nunc loquimur. Igitur rem aliquam existere in alio, in praesenti dicitur habitudinem ad terminum, vel suppositum a quo sustentatur

in sua existentia illa res, quae in alio existere dicitur; sicut accidens existere in subjecto, significat habitudinem, et dependentiam ab illo in sua existentia in genere sustentantis, quamvis imperfectiori modo, et cum materiali causalitate. Sic igitur existere in aliquo, non est existere per existentiam ejus, sed est habere existentiam suam sustentatam ab alio, et in eo genere dependentem ab illo. Unde potius supponit vel includit existentiam propriam illius rei, addit vero unionem vel conjunctionem ad aliam rem a qua sustentetur, vel ut a supposito terminante dependentiam sine ulla propria causalitate, vel ut a subjecto, ut est in formis inhaerentibus. Prior autem modus convenit humanitati Christi ratione hypostaticae unionis. Et ideo ejus existentia propria non dicitur esse per se existentia actualis, quia non est terminata per propriam subsistentiam, sed vocatur in-existentia, quia ininitur Verbo Dei; quam denominationem non habet ex seipsa, sed ex modo unionis, quo mediante habet ut sit in Verbo.

27. Si ergo existentia illa humanitatis praecise consideretur secundum id quod habet ex se, non constituit rem actu existentem in se vel in alio, sed tantum existentem substantialiter in tali natura; illi enim modi existendi, qui indicantur per illa verba, *in se*, vel, *in alio*, non sunt essentiales tali existentiae, sed adjunguntur illi ad constituendum vel complendum suppositum, quamvis non eodem modo. Nam prior modus existendi in se est connaturalis, et complet suppositum sine unione ad alterum, tanquam proprius terminus, vel subsistentia talis naturae, ut infra videbimus. Posterior autem modus existendi in alio est supernaturalis respectu naturae substantialis completae, et non constituit formaliter personam, sed unit naturam personae, ut inde resultet una persona composita. Quia ergo humanitas Christi, licet habuerit existentiam propriam, non tamen habuit illam eum proprio modo existendi in se et per se, sed cum supernaturali modo unionis ad suppositum Verbi Dei, ideo dici non potest existere aut exiitisse unquam in se, sed semper in Verbo.

28. *Christi humanitas qualiter in nullo signo potuit operari, sed Verbum per ipsum.*—Superest dicendum de quarta propositione valde consentanea doctrinae fidei, scilicet, quod humanitas Christi nunquam potuit operari, neque in instanti temporis, neque in si-

gno naturae, priusquam Verbum operaretur per ipsam, cujus oppositum videtur sequi ex nostra sententia; nam si habuit existentiam propriam, prius natura exiitit, quam fuerit unita Verbo; ergo etiam prius natura operari potuit, nam operatio consequitur esse. Respondetur tamen negando sequelam, quamquam non defuerint Theologi et docti, qui consequens illud affirmaverint, ut tractavi late, dicto 1 tomo tertiae partis, disp. 10, sect. 1 et 2; sed in eo decepti sunt, ut ibi ostendi. Negatur ergo dicta consequentia. Et imprimis aliqui existimant, quamvis humanitas habeat existentiam propriam, non inde sequi prius natura exiitisse, quam fuerit unita Verbo, quia potuit existentiam illam accipere per actionem dependentem a Verbo, ut a termino suppositali; sicut accidens habet propriam existentiam, et tamen non prius natura exiitit quam uniatur subjecto, quia recipit existentiam per actionem dependentem a subjecto, ut a causa materiali. Qui modus dicendi non est omnino improbabilis, nobis tamen non videtur verus, ut late disputavimus in dicto 1 tomo, disp. 8, sect. 1. Concedo ergo humanitatem illam prius natura exiitisse, quam fuerit assumpta; nego tamen prius natura operatam esse, aut operari potuisse, quam fuerit assumpta, quia natura existens non est capax operationis, donec per subsistentiam aliquam terminata sit, quod late ostendi in dicto tomo, disput. 10, sect. 2 et 3, quod hic repetere non est necesse.

29. Solum addo, idem argumentum retorqueri posse in aliam sententiam, et eodem proportionali modo necessario esse ab adversariis solvendum. Nam negare non possunt quin humanitas Christi prius natura receperit esse essentiale actuale, quam fuerit assumpta a Verbo, ut supra probatum est, et passim ipsi docent; inferam ergo similiter, potuisse in illo priori humanitatem operari per illud esse essentiae actuale, nam illud est proprium esse, ex quo sequitur operatio tanquam ex principio formali, et sufficiens conditio erit, quod sit actu extra suas causas. Maxime cum (juxta eorum opinionem) etiam secundum illud esse sit natura capax propriae subsistentiae, prius natura quam existat. Respondebunt ergo negando sequelam, quia ad operandum non satis est esse essentiae actuale, donec terminetur per existentiam; cur ergo non admittent responsionem nostram, cum similem negamus consequentiam, quia existentia non prodit in operationem donec

terminetur per subsistentiam? Præsertim quia ipsi nullam rationem sufficientem reddere possunt, cur essentia talem existentiam requiratur ad operandum, si, præcisa illa, jam habet in actu totam suam perfectionem essentialem in se et extra suas causas, et maxime si illam habet etiam propria subsistentia terminatam, quia jam non intelligitur quid addere possit existentia, quod ad operandum requiratur. Nos vero rationem reddimus, quia subsistentia est substantialis et intrinsecus terminus naturæ, pertinens suo modo ad substantiale rei complementum, et ideo est maxime intima, et primo resultans ex natura, vel saltem cum illa primum effecta: operatio vero est magis extrinseca vel accidentaria, et ideo secundum naturæ ordinem supponit subsistentiam, et in Christo supponit assumptionem, quia propria et creata subsistentia impedita est.

30. Non omitam ultimo loco advertere, prædictum tandem auctorem non parum nostræ favere sententiæ, dum, post omnes illas impugnationes et verborum exaggerationes, adjunxit, quanquam de facto Christi humanitas non habuerit existentiam propriam, potuisse tamen de potentia absoluta assumi cum propria existentia ad hypostaticam unionem. In quo certe ingeniose locutus est, quia in doctrina, quam ipse cum aliis sequitur, vix poterit rationem reddere cur id sit impossibile, cum nullam prorsus repugnantiam aut contradictionem involvat, ut in superioribus a nobis satis superque probatum est. Docent enim ipsi existentiam et subsistentiam in natura creata esse res distinctas, et Verbum in humanitate Christi Domini utramque impedisse et supplevisse. Cur ergo non potuit impedire solam subsistentiam, et non simul etiam existentiam? præsertim cum, juxta eorumdem doctrinam, subsistentia sit prior natura quam existentia, et ideo, consequenter loquendo, unio naturæ ad subsistendum sit prior natura quam ad existendum; ac proinde, cum prius possit separari a posteriori (ut a philosophis communiter receptum est), si aliunde non oriatur specialis repugnantia, poterit unio sistere in sola subsistentia, et non ulterius progredi, permittendo naturæ propriam existentiam.

31. Itaque libenter hoc dictum admittimus, miramur tamen non advertisse hinc everti (velint, nolint) totam sententiam, omniaque fundamenta ob quæ negatur, humanitatem Christi de facto habere propriam existentiam.

Primo quidem, quia si existentia propria non repugnat cum vera unione hypostatica, et cum unitate personæ in duplici natura, unde, aut quo fundamento dici potest, non esse in humanitate Christi talem existentiam, propriam, scilicet, et creatam? Quia fides nil aliud docet nisi talem unionem hypostaticam, qua una persona in duplici natura reali subsistat. Imo præterea docet, per talem unionem assumpsisse Verbum quidquid in humana natura plantavit, quod, nimirum, tali unioni non repugnet; si ergo existentia naturæ, ut supra dictus auctor concedere non veretur, non repugnat unioni, sed conservari potuit in natura personaliter unita, quo fundamento dici potest sublatam fuisse? Accedit quod, juxta illam sententiam, duæ sunt ponendæ uniones humanitatis ad Verbum, una ad subsistentiam, altera ad existentiam Verbi. Nam, licet ex parte Verbi non sit distinctio in re inter subsistentiam et existentiam, tamen ex parte humanitatis necessario est ponenda distinctio, cum dicatur una esse separabilis ab alia in re ipsa, quod est evidens signum alicujus distinctionis, saltem ex natura rei; sunt ergo duæ uniones distinctæ, quod est hactenus inauditum, et ipsi Thomistæ similem doctrinam in Durando graviter reprehendunt, et merito.

32. Quod ulterius sic urgeo, nam illæ uniones in re sunt distinctæ; ergo, sicut dicitur posse Deum conservare unionem ad subsistentiam sine unione ad existentiam, ita dicendum erit posse conservare unionem ad existentiam sine unione ad subsistentiam; est enim æqualis ratio, cum sit eadem distinctio, et non magis essentialiter pendeat una ab altera, quam e contrario. Esset ergo tunc persona creata habens naturam existentem sola existentia increata; esset etiam tunc unio substantialis inter naturam creatam et Deum absque unione hypostatica, quæ sunt inaudita, et parum consentanea doctrinæ Sanctorum Patrum et Conciliorum. Imo hinc ulterius concludimus, illam unionem ad existentiam, neque hypostaticam esse, neque in unione hypostatica intrinsece inclusam, ideoque gratis esse confictam in unione quæ facta est, nam secundum fidem sola unio hypostatica substantialis facta est inter humanitatem et Verbum.

33. Tandem, si illud est possibile, constituamus factum esse; nunquid tunc Christus non vere esset unus et unum ens per se, et simpliciter? Revera esset, quia esset una per-

sona substantialiter composita, ratione ejus vere et proprie et homo esset Deus, et Deus homo. Et eadem ratione, dum ille homo conciperetur ex matre, conciperetur etiam Deus; et humanitas ejus, licet existeret existentia propria, non existeret in se, sed in Verbo, neque ipsa posset proprie operari, sed Verbum per ipsam; hic ergo casus aperte declarat, rationes, superius contra nos factas, non esse efficaces. Atque hæc satis sint de hac digressionem, quæ hic necessaria visa est, ut constet, ea principia metaphysica a nobis tradi, quæ veræ Theologiæ deserviant; hoc enim præcipue intendimus et optamus. Jam ad inchoatam disputationem revertamur.

*Essentiam actualem posse omnino everti cum sua existentia.*

34. Dico ultimo, existentiam actualem esse separabilem ab essentia creaturæ, ita ut cum existentia simul ipsa essentia pereat, seu destruat. Hæc assertio est certa et evidens. Primo, quia creatura non habet existentiam ex se, sed ab alio, saltem a Deo, a quo semper in suo esse pendet; sed Deus sicut libere dat esse creaturæ, ita etiam libere conservat eam in esse; potest ergo non conservare; ergo creatura potest privari esse; si autem privetur esse existentia, necesse est ut ejus essentia simul destruat ac pereat, quia ablato esse existentia, essentia nihil est, ut in secunda sectione declaratum est. Ex quo confirmatur posita assertio, quia omne generabile (teste Aristotele) est corruptibile, et eadem ratione omne quod incipit esse, potest desinere esse, et desitio est proportionata inceptioni, id est, illud ipsum per desitionem potest amitti, quod per inceptionem acquisitum est; sed quando creatura incipit esse, essentia ejus incipit esse aliquid, quæ antea erat nihil, seu nondum erat; ergo, simili modo, potest ita desinere esse, seu separari ab esse, ut omnino suamet entitatem essentia amittat.

35. Sed quæret aliquis, qui possit separari hoc modo esse ab essentia, si in re sunt omnino idem, cum plane repugnet idem a seipso separari. In hoc enim magnam vim faciunt, qui contendunt essentiam debere distinguui saltem ex natura rei ab essentia creaturæ, et præsertim Ægidius, locis supra citatis, et maxime in suo opusculo de Ente et essentia, contendens nec posse fieri creaturam, neque destrui, nisi essentia ejus sit ali-

quid distinctum ab ejus esse, cui possit esse esse imprimi, et ab ea separari. Hunc autem dicendi modum ante Ægidium retulit Alensis, 7 Metaph., text. 22, et eleganter refutavit. Quia esse creaturæ priusquam fiat, est pure objectivum, si absolute de tota creatura loquamur: *Et ideo* (inquit) *non oportet imaginari illud fieri ex hoc, aut quod ipsum imprimatur alicui, puta, ipsi essentia; si enim ita esset, cum illud, cui imprimatur res, præcedat, et non fiat per illud fieri, tota res non fiet.* Atque eadem ratio fieri a nobis poterit de desitione, si sit desitio simpliciter, per quam res in nihilum transit, et, salva proportionem, applicari potest ad corruptionem, ut statim declarabimus.

36. Ad difficultatem ergo positam respondet idem Alensis, fieri rei non esse imaginandum, ac si ipsum esse imprimatur seu conjungatur essentia, tanquam actus potentia, sed solum quod tota realitas essentia, quæ prius erat sub natura possibili, tota postea sit in actu: *Et quidam* (ait) *istam rationem ut præcedit, vocant essentiam; ut autem est terminus actionis divinæ, vocant esse.* Simili ergo modo, non est imaginandum rem desinere esse, eo quod esse separetur ab essentia, sicut actus a potentia receptiva, aut sicut una res separatur ab alia, aut modus rei ab ipsa re, sed per hoc solum quod tota res, quæ erat ens actu, per actionem Dei suam entitatem amittit, et desinit esse ens actu. Cum ergo dicitur non posse rem separari a seipsa, si nulla est distinctio ex natura rei, illud verum est de propria separationem, qua id, quod separatur, non manet, et id, a quo separatur, manet, aut in eadem durationem, aut in eodem loco, juxta modum separationem; at vero hoc modo non separatur esse ab essentia, ut diximus. Si autem idem dicatur separari a seipso, quia totum desinit esse, et ab uno statu transit in alium, id est, ab statu essendi ad statum non essendi, vel ab statu actuali ad potentialem, sic non magis repugnat idem separari a seipso, quam repugnet idem nunc esse, et postea non esse, vel idem nunc actu terminare actionem suæ causæ, postea vero solum manere in potentia seu objective in causa. Ad hunc ergo modum, et juxta hanc postremam separationem, essentia creaturæ dicitur posse separari ab esse, quia eadem essentia, quæ est actualis dum est, potest amittere totam illam actualitatem, et redire ad solum esse objectivum, seu potentiale.